

V. Dies 1 Maji propria est Festi SS. Philippi et Jacobi, Apostolorum, duplicis 2 classis; cum Littera Dominicalis ad diem hanc adscripta in Calendario sit B, occurrit dies Dominica, quæ est III post Pascha. Sed in hac Dominica celebrandum venit Festum mobile Patrocinii S. Joseph, ritu duplici 1 classis (qui ritus Diœcesi Mechliniensi concessus fuit Indulto Apostolico 26 Novembris 1847).

Solutio. Præferentia dabitur Festo Patrocinii S. Joseph, utpote superanti classe Festum SS. Apostolorum. Officium Festi SS. Philippi et Jacobi, duplicis 2 classis, cum non possit peragi sola Commemoratione, transferetur ad primam diem liberam. Remanet Officium Dominicæ, cujus, impeditum cum sit per Festum occurrens celebratum, et non capax translationis (Q. 163), fiet Commemoratio per nonam Lectionem ejus Homiliæ in Evangelium ad Matutinum, et per Antiphonam, Versum et Orationem, ad utrasque Vesperas et ad Laudes.

NOTA. Ubi vero Festum Patrocinii S. Joseph celebratur ritu et classe quæ indicatur in Calendario Romano, scilicet ritu duplici 2 classis, alia omnino requiritur solutio; occurrunt tunc duo Officia duplicia æqualia quoad classem, utrumque enim est duplex 2 classis; attenda tunc qualitate (Q. 160, 2^o), præferentia dabitur Festo primario SS. Philippi et Jacobi, quod celebrabitur die sua propria 1 Maji, cum Commemoratione Dominicæ; Festum vero Patrocinii S. Joseph, secundarium, locum cedet et transferetur ad primam diem liberam.

VI. Die 10 Junii, Feria VI, celebrandum est Festum semiduplex S. Margaritæ, Reginæ Scotiæ, Viduæ; item 15 Junii, Feria IV, Festum semiduplex B. Aleydis, Virginis (cujus Officium reperitur inter Officia propria Diœcesana), et Festum simplex SS. Viti et Sociorum, Martyrum. Ast (celebrato Paschatis Festo 10 Aprilis), tali anno occurrit his diebus Octava privilegiata SS. Corporis Christi.

Solutio. In ordine Officiorum quo determinatur eorum præferentia (Q. 159), dies infra Octavam SS. Corporis Christi notantur 8^o loco, Festa semiduplexia vero tantum 9^o loco; et in eo inter alia consistit privilegium

hujus Octavæ SS. Corporis Christi, quod non admittat celebrationem Festi semiduplexis (Q. 146, III); itaque diebus in casu indicatis, dicetur Officium de die infra Octavam SS. Corporis Christi; 10 Junii instituetur in utrisque Vesperis et in Laudibus Commemoratio S. Margaritæ; 15 Junii fiet in utrisque Vesperis et in Laudibus Commemoratio B. Aleydis, utroque Festo semiduplexi ad modum Simplicis redacto; 15 Junii etiam dicetur, in primis Vesperis et in Laudibus, Commemoratio Festi simplicis SS. Viti et Sociorum. Notatur insuper quod utriusque Festi semiduplexis non legi potest in Matutino nona Lectio, composita ex tribus Lectionibus historicis Officii; id enim inter privilegia numeratur Octavæ SS. Corporis Christi, quod non admittat nonam Lectionem de Sanctis, quando de ea fit Officium, ut postea dicetur, ubi de Lectionibus datur liturgica explicatio (Q. 215, 4^o).

VII. Die 29 Junii, celebratur Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli, duplex 1 classis, et simul (pro Belgio et aliis quibusdam locis) præscribitur facienda Commemoratio Omnium Sanctorum Apostolorum; estque insuper dies infra Octavam Nativitatis S. Joannis Baptistæ.

Solutio. Octava S. Joannis Baptistæ est Octava communis (Q. 146): atqui de die infra Octavam communem omittitur Commemoratio in Festo duplici 1 classis (Q. 164); ergo de die infra Octavam S. Joannis Baptistæ nihil fiet in Officio SS. Petri et Pauli.

Quoad indicatam Commemorationem Omnium SS. Apostolorum, hæc fit in utrisque Vesperis et Laudibus, sub distincta conclusione. (Cfr. quæ de ea Commemoratione particulari dicta fuerunt, Q. 165, ad Notam III.)

VIII. Die 30 Junii celebratur Festum quod vocatur « Commemoratio S. Pauli », duplex majus; occurrunt dies infra Octavam S. Joannis Baptistæ, dies infra Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Festum Diœcesanum S. Adiliæ, Virginis, simplex.

Solutio. Placeat obiter cognitam habere originem hujus singularis S. Pauli Commemorationis, quæ immediate subsequitur diem Festum utriusque, S. Petro et S.

Paulo, communem; Festum scilicet antiquitus Romæ 29 Junii eo solemniori modo celebrabatur, ut Summus Pontifex, peracto primum in Vaticana Basilica S. Petri Sacrosancto Sacrificio, mox alterum perficeret in Basilica S. Pauli; verum quia onus grave et Pontifici et populo hoc duplex Sacrum erat, ævo S. Gregorii Magni statutum fuit, ut Festo diē SS. Petri et Pauli in sola Basilica Vaticana Sacrum celebraretur, alterum vero ad S. Pauli Basilicam pro sequenti die reservaretur; institutumque fuit speciale S. Pauli Officium, quod « Commemorationis » vocabulo notatur, quia quasi complementum est ipsius Festi pridie non integre celebrati, et continuatur ita Festum in honorem S. Pauli.

Usque ad annum 1883 hæc Commemoratio erat tantum ritus duplicis minoris; Leo XIII, Decreto Urbis et Orbis, 5 Julii 1883 (n. 3581, antiq. 5879), statuit illam fore celebrandam ritu duplici majori. Recensetur hæc Commemoratio inter Festa secundaria (Q. 108).

In Officio S. Pauli dicitur ad Matutinum nona Lectio de Festo simplici S. Adiliæ (Q. 162); in Laudibus dicitur Commemoratio diei infra Octavam S. Joannis Baptistæ, deinde S. Adiliæ.

Omittitur Commemoratio diei infra Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli, ne bis de eisdem fiat in eodem Officio, juxta dicenda in Sectione III (Q. 193); sed quia de S. Paulo fit Officium, de S. Petro particularis facienda est Commemoratio, quæ quidem ponitur ante Commemorationem diei infra Octavam S. Joannis Baptistæ (cfr. Q. 165, Nota I).

Exinde intelligitur quare hac die in Directorio præscribantur Commemorationes 1^o S. Petri, 2^o Octavæ S. Joannis Baptistæ, 3^o S. Adiliæ.

Notatur tandem, quod S. Adiliæ fiat Commemoratio in Laudibus tantum, non autem in primis Vesperis hujus Festi; hujus omissionis ratio quæritur, non ex dictis Q. 164, etenim Festum hodiernum est tantum duplex majus, sed ex legibus Concurrentiæ postea in Capite II (Q. 192) exponendis; hujusmodi ommissio insinuata fuit Q. 164, in Nota.

IX. Die 14 Augusti indicatur in Calendario Officium

de 5 die infra Octavam S. Laurentii, semiduplex; simul occurrit Vigilia Assumptionis B. Mariæ V., et Festum simplex S. Eusebii, Confessoris; sed et supponitur dies Dominica, XI scilicet post Pentecosten.

Solutio. Officium fiet de Dominica XI post Pentecosten; fiet Commemoratio diei infra Octavam S. Laurentii, et S. Eusebii; in Officio Dominicæ autem non dicetur specialis quædam Lectio nona de S. Eusebio, nulla enim ponitur in Breviario; neque dicentur Suffragia Sanctorum ad Laudes, aut Preces ad Primam, ratione Octavæ S. Laurentii (Q. 102). Officium Vigiliæ autem anticipatur, et de ea fit in Sabbato præcedente (Q. 136), in quo, cum celebretur Festum S. Joannis Berchmans, Confessoris, duplex majus, legitur ad Matutinum nona Lectio de Homilia Vigiliæ, hujusque fit Commemoratio in Laudibus (Q. 137).

X. Die 11 Septembris adscribitur in Calendario Festum simplex SS. Proti et Hyacinthi, Martyrum; est dies hæc etiam quarta infra Octavam Nativitatis B. M. V.; supponitur dies Dominica, scilicet XV post Pentecosten; Calendarium autem notat, Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V. celebrandum esse Festum SS. Nominis B. Mariæ V., duplex majus; sed in Calendario Diæcesano occurrit celebranda dies Octava Festi SS. Angelorum Custodum, cum sit Dominica 11 Septembris. Ergo quinque diversa Officia occurrunt.

Solutio. In ordine tradito Q. 159, Officium Festi simplicis notatur 16^o loco; dies infra Octavam communem, qualis est Octava Nativitatis B. Mariæ V. (Q. 146), 10^{um} tenet locum; Dominica communis 8^{um}; Festum duplex majus 6^{um}; dies Octava Octavarum communium 5^{um}. Ergo præferentia dabitur Officio diei Octavæ SS. Angelorum Custodum. Festum duplex majus SS. Nominis B. Mariæ V. cedit locum, et cum jus habeat ad integrum Officium, transferetur ejus Officium in primam diem liberam. De Dominica fiet solum Commemoratio per nonam Lectionem Homiliæ Evangelii in Matutino, et per Antiphonam, Versum et Orationem in utrisque Vesperis et in Laudibus (QQ. 162 et 163). De die infra Octavam Nativitatis B. Mariæ V. similiter dicetur Com-

memoratio in Vesperis et in Laudibus. Tandem Festi simplicis instituetur Commemoratio tantum in primis Vesperis et in Laudibus. Ordo Commemorationum supradictus servabitur juxta regulam traditam Q. 165.

XI. Die 13 Novembris celebrandum est Festum S. Didaci, Confessoris, semiduplex; supponitur dies Dominica, et occurrit Officium Dominicæ XXIV post Pentecosten; verum, hæc Dominica est prima post Octavam Omnium Sanctorum, in qua celebrari debet Festum Anniversarii Dedicationis omnium Ecclesiarum Diæcesis (Q. 105, Nota II), duplex 1 classis.

Solutio. Officium dicitur de Festo duplici 1 classis Dedicationis Ecclesiarum. Festum semiduplex S. Didaci, ob Occurrentiam Festi duplicis 1 classis, totaliter omittetur (Q. 164). Remanet Officium Dominicæ, cujus fiet Commemoratio, in Matutino per nonam Lectionem, in utrisque Vesperis, et in Laudibus.

Pro Officio hujus Dominicæ animadvertendum est, quod, etiamsi pro viginti quatuor Dominicis tantum describatur Officium in Breviario, celebrato Paschatis Festo 10 Aprilis, hac præsentis Dominica, etsi XXIV post Pentecosten, non poterit sumi Officium in Breviario pro hac descriptum; etenim in supposito anno hæc Dominica non est ultima ecclesiastici anni, et Officium proprium Dominicæ XXIV reservari debet pro ultima Dominica post Pentecosten, quæ erit sequens XXV (Q. 123). Recurrendum est ad Officium Dominicæ unius ex vagis quæ superfuerunt post Epiphaniam ante Septuagesimam; et sumitur Officium Dominicæ VI post Epiphaniam (Q. 123).

XII. Die 29 Novembris indicatur in Calendario Vigilia S. Andreae, Apostoli, et Festum simplex S. Saturnini, Martyris; sed cum præcesserit die 27 Novembris Dominica I Adventus (proximior Festo S. Andreae, ut dicitur Q. 121), dies 29 Novembris in casu est FERIA III post Dominicam I Adventus.

Solutio. Feriæ in Adventu omnes sunt majores (Q. 128); quando vero aliqua Vigilia venerit in Adventu, de ea nihil fit in Officio (Q. 137); itaque die 29 Novem-

bris Officium erit de FERIA III post Dominicam I Adventus; ad Laudes et per Horas dicuntur Preces FERIALES flexis genibus (Q. 102, in fine); Festi simplicis S. Saturnini fit Commemoratio in Vesperis diei præcedentis et in Laudibus FERIA III.

Sed cum hæc FERIA major Adventus de iis sit quæ admittunt Officium votivum ex concessis a Summo Pontifice Leone XIII, per Indultum 5 Julii 1883 (Q. 151), singuli de clero igitur poterunt dicere ad libitum Officium votivum de SS. Apostolis assignatum pro FERIA III, in quo instituetur consequenter Commemoratio FERIA, et S. Saturnini (Q. 154).

NOTA. Alia jam deberet dari casus solutio, si Littera Dominicalis anni alia esset quam supposita B, ita ut Dominica I Adventus occurreret 30 Novembris, aut 1, 2, vel 3 Decembris; FERIA 29 Novembris esset tantum minor (Q. 128), quæ cuicumque Officio locum cedit; proinde, occurrentibus tantum in hoc casu Vigilia et Festo simplici S. Saturnini, ex ordine tradito (Q. 159) patet Officium hac die esse de Vigilia, cum Commemoratione in Laudibus Festi S. Saturnini. Etiam in casu posset a singulis dici ad libitum Officium votivum correspondens FERIA, in quo nona Lectio Matutini diceretur de Homilia Vigiliæ (Q. 154), et in Laudibus fieret Commemoratio Vigiliæ et S. Saturnini.

XIII. Die 17 Februarii, FERIA V post Dominicam in Sexagesima, nullum in Calendario adscribitur Festum, aliudve speciale Officium, et juxta rubricas dicendum est Officium de FERIA; item 3 Martii, FERIA V post Dominicam I in Quadragesima.

Solutio. Die 17 Februarii, debet in Archidiocesi Mechliniensi dici Officium votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento, ritu semiduplici (Q. 150), et FERIA minoris nulla quidem fiet Commemoratio (Q. 130).

Die 3 Martii, Officium juxta rubricas dicitur de FERIA V post Dominicam I in Quadragesima; sed singuli de clero ad libitum dicere poterunt, vel Officium hujus FERIA, vel Officium votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento, ritu semiduplici (Q. 152); facta FERIA majoris Commemoratione, in Matutino, per nonam Lectionem

Homiliæ Feriæ, in Laudibus, et in Vesperis (Q. 130).

XIV. Die 5 Martii, Sabbato post Dominicam I in Quadragesima, dicendum est juxta rubricas Officium feriale de Sabbato Quatuor temporum; die 18 Junii, Sabbato hebdomadæ II post Pentecosten, celebratur Festum simplex SS. Marci et Marcelliani, Martyrum.

Solutio. Die 5 Martii Officium juxta rubricas dicitur de Sabbato post Dominicam I in Quadragesima; sed a singulis de clero poterit ad libitum dici, vel Officium feriale hujus Sabbati, vel Officium votivum de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., ritu, non duplici, sed semiduplici (Q. 152), cum nona Lectione Homiliæ, et Commemoratione ex Officio feriali Sabbati, et additis Suffragiis Sanctorum, excepto tamen Suffragio B. Mariæ V. (Q. 154.)

Die 18 Junii, debet in Archidioecesi Mechliniensi dici Officium votivum de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., et quidem ritu duplici (Q. 150), cum nona Lectione, et Commemoratione SS. Martyrum.

XV. Supponitur pro præsentis casu alia Littera Dominicalis, scilicet F. Die 8 Septembris celebratur Festum Nativitatis B. Mariæ V., duplex 2 classis cum Octava: est Dominica. Dominica sequente, III Septembris, occurrit hujus Festi dies Octava, ritus duplicis; sed hac Dominica III Septembris celebrandum est Festum Septem Dolorum B. Mariæ V. (Q. 125); insuper Dominica infra Octavam Nativitatis B. Mariæ V., qualis hæc præsens est, celebrari debet Festum SS. Nominis ejusdem B. Mariæ V.

Solutio. Occurrunt hac die quatuor Officia: Dominica communis post Pentecosten, et tria Festa B. Mariæ Virginis, quorum unum est primarium, scilicet dies Octava Festi primarii Nativitatis B. Mariæ V. (Q. 147), et reliqua duo sunt secundaria (Q. 108).

Speciales Rubricæ regunt hanc Occurrentiam, ut videre est in Breviario Romano ad hæc Festa: ex regulis hucusque traditis, et speciatim ex ordine tradito Q. 159, præferentia videtur danda diei Octavæ Nativitatis B. Mariæ V.; attamen non ita fiet: statutum est in Rubricis specialibus quod dies Octava locum cedit,

et celebrabitur Festum SS. Nominis B. Mariæ V.; dies autem Octava cum non possit transferri, ut explicabitur in sequenti § 3, deberet tunc habere Commemorationem; sed ex consideratione quod idem est objectum utriusque Festi, honoratur enim in utroque B. Maria Virgo, ne bis fiat de eodem (Q. 193), statuitur in Rubrica quod diei Octavæ Nativitatis B. Mariæ V. omittenda est Commemoratio.

Quoad tertium occurrens Festum, nempe Septem Dolorum B. Mariæ V., statuitur per plura Decreta S. Rituum Congregationis (inter alia per Decret. 23 Aprilis 1895, n. 3851), quod si Dominica III Septembris occurrat aliud Festum B. Mariæ V., amandatur Festum Septem Dolorum ad Dominicam IV Septembris: ergo in casu transfertur hoc Festum ad hanc Dominicam.

Remanet itaque hac Dominica Festum SS. Nominis B. Mariæ V., et in ejus Officio fit commemoratio Dominicæ communis occurrentis, modo consueto ut pluries jam in præcedentibus indicatum fuit.

Sufficiant hæc exempla Occurrentiæ; unusquisque potest juxta eandem methodum, plures alios casus sibi proponere eosque resolvere; aut hac methodo rationes investigare eorum quæ singulis annis in Directorio, seu Ordine divinatorum Officiorum, pro multis variisque Occurrentiis soluta proponuntur; quæ rationem intelligentia non parum confert, ut grata fiat divinatorum Officiorum æstimatio, et summus honos habeatur sapientissimæ dispositioni Ecclesiæ, cum multiformiter in dies laudat Deum et jugi canore prædicat.

TABELLA OCCURRENTIARUM

In Breviario Romano describitur post Rubricas generales Tabella, in qua statim videri potest de quo celebrandum erit Officium, si plura eodem die Festa aut Officia occurrant.

Causa emendationum quæ anno 1882 supervenerunt in ipsis Rubricis de Translatione Officiorum, et de Commemorationibus, necessariæ quoque sunt correctiones in Tabellis ante annum 1882 impressis. Describitur hic Tabella Occurrentiarum reformata.

SI OCCURRAT EODEM DIE

Duplex primæ classis,	6	4	0	6	6	4	6	6	2	2	2	8	4	4	1
Duplex secundæ classis,	4	4	0	4	4	4	6	4	2	2	8	1	4	1	1
Duplex per annum majus,	4	4	0	4	4	1	4	4	2	8	1	1	4	1	1
Duplex Doctoris Ecclesiæ,	4	4	0	4	4	1	4	0	0	1	1	1	4	1	1
Duplex per annum minus,	4	4	0	4	4	3	4	7	0	3	3	5	4	3	3
Dies infra Octavam,	4	4	0	4	3	3	7	3	3	3	5	5	3	3	3
Dies Octava,	4	4	0	4	4	7	4	4	2	2	3	3	4	3	3
Semiduplex,	4	4	0	4	7	3	4	3	3	3	3	5	3	3	3
Simplex,	3	3	3	0	3	3	3	3	3	3	3	5	3	3	3
S. Maria in Sabbato,	5	5	0	4	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Feria major,	6	0	6	4	3	3	3	3	3	3	3	3	0	0	0
Vigilia,	0	5	6	4	3	3	3	3	3	3	3	5	0	0	0
1. Translatio de primo, Officium de secundo.	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»
2. Officium de primo, Translatio de secundo.	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»
3. Commemoratio de primo, Officium de secundo.	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»
4. Officium de primo, Commemoratio de secundo.	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»
5. Nihil de primo, Officium de secundo.	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»
6. Officium de primo, nihil de secundo.	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»
7. Officium de digniori, Commemoratio de minus digno.	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»
8. Officium de digniori, Translatio de minus digno.	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»

Ex hac Tabella hoc ordine reperitur illud quod quaeritur: Primum inveniatur numerus positus in quadrangulo illo, in quo Officia, de quibus est controversia, sibi invicem occurrunt: deinde legatur Regula juxta dictum numerum descripta, et ex ea clare videtur quid sit agendum.

Exempli gratia: Quadrangulus, in quo sibi invicem occurrunt Duplex primæ classis, et Dominica primæ classis, erit qui est in angulo superiori Tabellæ, in quo signatus est numerus 1, quia si ad eum tam Duplex, quam Dominica prædicta ex eorum locis recto tramite pergerent, in eo sibi invicem occurrerent. Regula autem juxta dictum numerum appositæ, sic habet: 1. *Translatio de primo, Officium de secundo.* Id est, Duplex 1 classis prædictum transferatur, et Officium fiat de Dominica 1 classis; quia, cum in his Regulis dicitur de primo, seu præcedenti, intelligitur de Officio in superiori parte

Tabellæ apposito, ut Duplex prædictum; cum de secundo, vel sequenti, de Officio in inferiori parte sub numeris apposito, ut Dominica prædicta.

In aliquibus autem quadrangulis nullus appositus est numerus; vel quia nullus occursus esse potest, vel quia in propriis locis adnotatur in Breviario quid sit agendum.

Notandum est quod hæc Tabella valet tantum pro Occurrentiis accidentalibus, non vero pro perpetuis. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 224 et sqq.)

§ 3. De Officiorum Translatione

In omni Occurrentia duorum vel plurium Officiorum unum prævalet et in die Occurrentiæ integrum dicitur (§ 1); pro aliis triplex sese offert solutio: etenim, aut 1^o in ipsa die peraguntur Commemoratione (§ 2); aut 2^o penitus omittuntur (ibid.); aut 3^o, quia jus habent ut integra dicantur, ad aliam sequentem diem liberam, in qua integra valeant dici, reponuntur, scilicet vel transferuntur vel assignantur. (Cfr. dicta § 2.)

Quæstione 156 explicata fuit distinctio Occurrentiæ accidentaliter et Occurrentiæ perpetuæ; et Quæstione sequenti 157 indicata fuit Officii impediti translatio tamquam effectus Occurrentiæ accidentaliter (ad 3^{um}), et Festi mutatio, necnon Officii assignatio tamquam effectus Occurrentiæ perpetuæ (ad 4^{um}).

Pro solutione supra tertio loco indicata, exinde distinguendum erit prout Officia quæ jus habent ut integra dicantur, impedita sunt in sua propria die vel accidentaliter, vel perpetuo; et primo quidem investigandum est, quandonam alterum occurrens Officium, si Occurrentia accidentaliter est, gaudebit privilegio ut integrum alia die dicatur, facta Officii translatione. (Q. 157, ad 3^{um}.)

Q. 167. *Quænam Officia ab aliis accidentaliter impedita, gaudent privilegio translationis?*

R. Sola Festa duplicia 1 classis, duplicia 2 classis, duplicia majora (cfr. QQ. 105, 106, 107), et Festa Sanctorum Ecclesiæ Doctorum (cfr. Q. 110), privilegio

gaudent ut in casu impedimenti accidentalis ex Occurrentia oriundi, eorum Officium transferatur in aliam diem.

Reliqua omnia Festa duplicia minora, semiduplicia, necnon simplicia, et reliqua omnia Officia, nempe Octavæ, Dominicæ, Feriæ et Vigiliæ, in tali casu, aut Commemoratione peraguntur, aut penitus omittuntur. (QQ. 163, et 164.)

NOTA. Quædam tamen sunt Festa quæ, licet sint ritus duplicis etiam majoris, in Occurrentia cum Festo quod ipsis præfertur, non transferuntur, neque de eis fit Commemoratio, sed omnino omittuntur. Sunt nempe Festa Dominicis affixa, mobilia lato sensu, sed minoris nobilitatis, concessa pro locis et Ecclesiis particularibus absque privilegio speciali quo translatio permittitur. (Cfr. Q. 112.) In nostro Mechliniensi Calendario hodieum duo tantum hujusmodi Festa dantur, scilicet Festa Maternitatis et Puritatis B. Mariæ Virginis, duplicia majora, concessa pro Dominicis II et III mensis Octobris. — Anno 1903 in Dominica III Octobris occurrit et celebratur Festum S. Lucæ Evangelistæ, duplex 2 classis, et Festum Puritatis B. Mariæ V. ideo omittitur.

Q. 168. *Quid est Officii alicujus Festi translatio?*

R. Est Officii integri alicujus Festi accidentaliter impediti temporaria amotio a die sua propria, et in aliam diem liberam item temporaria repositio.

Exemplum: Dies 30 mensis Novembris est propria Festi S. Andreae, Apostoli; quando Littera Dominicalis est E, eadem die incidit Dominica I Adventus, et duo hæc Officia occurrunt (Q. 155); prævalet Officium Dominicæ, quia hæc est Dominica 1 classis, et Festum S. Andreae duplex 2 classis (Q. 159); verum quia S. Andreae Festum est duplex 2 classis, non sufficit ejus Commemorationem facere die 30 Novembris, sed jus seu privilegium habet, ut ab hac die sua propria amoveatur ejus Officium, et in aliam diem liberam reponatur. Est autem illa amotio tantum temporaria, quia sequentibus annis, ubi alia erit Littera Dominicalis, non locus erit huic Occurrentiæ accidentali, et Officium S. Andreae dicetur in ipsa die Festi, 30 Novembris.

Cum ergo translatio sit amotio, necesse est ut habeat duos terminos, videlicet terminum a quo Officium amo-

vetur, qui est dies propria Festi propter Occurrentiam alterius Officii prævalentis impediti, et terminum ad quem, seu in quem reponitur Officium Festi in die sua propria impeditum.

Q. 169. *Quis est terminus ad quem, seu in quem transferatur Officium Festi accidentaliter impediti; aliis verbis, quæ dies admittit Officium Festi transferendi?*

R. Est prima dies post Festum accidentaliter impeditum, in qua non celebratur Festum duplex, Festum semiduplex, dies Octava, aut non occurrit aliqua Dominica, Feria privilegiata, aut Vigilia privilegiata.

Exemplum: Officium Festi S. Andreae, Apostoli, impeditum supponitur Officio Dominicæ I Adventus, et transferendum in primam diem liberam. Inspiciendo Kalendarium Diocesanum reperitur:

- 1 Decembris, Festum duplex S. Eligii, Episcopi et Confessoris, proprium Diocesis Mechliniensis;
 - 2 Decembris, Festum semiduplex S. Bibianæ, Virginis et Martyris;
 - 3 Decembris, Festum duplex S. Francisci Xaverii, Confessoris;
 - 4 Decembris, Festum duplex S. Barbaræ, Virginis et Martyris, proprium Diocesis Mechliniensis;
 - 5 Decembris, Festum duplex S. Petri Chrysologi, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris;
 - 6 Decembris, Festum duplex S. Nicolai, Episcopi et Confessoris;
 - 7 Decembris, Dominica II Adventus. In Calendario adscribitur quidem hac die Festum duplex S. Ambrosii, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris; sed ex diversis Occurrentiæ Officiorum regulis hucusque traditis patet et ipsius Officium accidentaliter impeditum ulterius esse transferendum;
 - 8 Decembris, Festum duplex 1 classis Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis;
 - 9 Decembris, Officium de 2 die infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. M. V.; en prima dies inde a 30 Novembris in qua non assignatur Festum duplex, Festum semiduplex, dies Octava, aut non occurrit Dominica; in eam itaque transfertur Officium integrum S. Andreae; et quia hoc Officium est Festi duplicis 2 classis, de die infra Octavam Immaculatæ Conceptionis nequidem fiet Commemoratio (Q. 164. ad 3^{um}); Feriæ majoris Adventus vero Commemoratio fiet (QQ. 128 et 164).
- Cumque in decursu investigationis obviam fuerit, 7 Decembris, Festum S. Doctoris Ambrosii, cujus Officium accidentaliter est impeditum Officio Dominicæ II in Adventu, si placeat hujus Officii terminum ad quem inquirere, reperietur pro translatione dies 10 Decembris libera, in qua adscribitur in Kalen-